

rebus in quibus vera sententia insignis cuiuspiam Hæreseos nomine infamis fuerit, neque meliore eam loco primi illi habuerint. Ita enim error adeò stabilitur, ut iam cõuelli nulla ratione posse videatur. Cui & illud potest accedere, si qui, cùm tentauerint errores eiusmodi impugnare, aut id fecerunt absurdis ineptisque allatis rationibus, aut fuerunt aliorum errorum nomine infames, aut in eorum errorum locum non veritatem, sed errores alios, forteque fœdiores substituere voluerunt. Quisquis enim res easdem aggredi voluerit, nemo fuerit, quin primo quoque verbo compertum sibi habere videatur, & quali spiritu hominem eum esse oporteat, nimirum impio, maximeque sacrilego: & quò tendat, quid sibi velit: quid dicturus sit: & quid possit etiam dicere. Itaque omnino surda fuerit aure, multò autem id fiat magis, quo plures quid eiusmodi tentauerint, & pluries: & quo morosioribus, magisque perditis visi fuerint moribus qui id tentauerunt.

Sanè quæ viderentur homines à nimia tum suæ sapientiæ fiducia, tum animi elatione ad modestiam æquanimitemq; reuocare posse, sed & quæ dissoluere possent nimiam illam de quibusuis hominibus opinionem, de ijs dictum iam est à nobis alibi. Tantùm ij sunt monendi, quibus post primos Deus patefecerit quid, ut ad ea in medium afferenda magna  
 vtan-